

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCC ^{XLVI}/_{XLVII}

A DIE XX M. OCTOBRI

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEMISSA EST

COMMENTATIO DE ECGYCLEMATE.

LITERIS ADLERIANIS.

INDEX

LECTIONUM

ACADEMIAE ROSTOCKENSIS

SEMINARIUM ROSTOCKENSE

A. M. 1811

CONSTITUTIO DE LEGIBUS

Quum vidissem, de eccyclemate viros doctos in erroribus versari, gaudebam de hac veteris theatri machina ad Thesmophorias v. 265 ea a me prolata esse, quae et testimoniis scriptorum omnium et ipsius rei naturae unice conveniant. Quo magis miror, sententiam meam verbo rejectam esse, ne verbo quidem refutatam ab Hermanno meo in censura, quam inseruit *Diariis Antiquitatis Studiorum* A. 1838 N. 83 p. 678. Restat, ut nostras rationes, quibus nihil certius est, omni ope tueamur, nonnulla dato nunc ampliore ad dicendum spatio addamus, denique pauca quaedam errata corrigamus. Primum igitur quaeritur, utrum praeter *ἐκκύκλημα* et *εἰσκύκλημα* formas minime dubias etiam tertia *ἐγκύκλημα* pro bene graeca habenda sit, necne. Atque ego quidem praefatus, pro *ἐγκύκλημα*, quoties ei *εἰσκύκλημα* opponatur toties *ἐκκύκλημα* reponendum esse, ita statueram male plerosque criticos duce Casaubono ad Athenaeum VIII, 15 p. 395 formam *ἐγκύκλημα* omnino improbasse, recte autem H. Stephanum in Thesouro L. G. p. 5461 ed. Lond., L. Rusterum ad Thesmophor. v. 96, J. Schneiderum in Lexico s. h. v. hanc ipsam formam tutatos esse. Toties enim in omnibus codd. *ἐγκύκλημα* legi, ut illam machinam etiam hoc nomine dictam esse appareat, accedente praesertim disertissimo testimonio Eustathii ad II. p. 976, 15. Respondet mihi Hermannus, *ἐγκύκλημα* et *ἐγκυκλεῖν* nihil aliud, quam errores esse librariorum pro *ἐκκύκλημα* et *ἐκκυκλεῖν*. Bona verba quaeso. Neglexit Hermannus locum, quem ipse attuleram, Aristophanis in Vespis v. 699 *σκέψαι τοῖνυν, ὥς ἐξόν σοι πλουτεῖν — οὐκ οἶδ' ὅποι ἐγκεκύκλησαι*; ita enim omnes libri (nullus *ἐκεκύκλησαι*), ac praeterea scholiasta et Suidas, qui recte exponunt *μεταβέβλησαι, ἀνέστραψαι*. Haec est enim sententia: nescio quo (in egestatem nescio quam) quasi machina conversus es. Male vertit Florens Christianus, nescio quo modo circumveniris, id quod graece sic dicendum esset, *οὐκ οἶδ' ὅπως ἐγκεκύκλωσαι*. Deinde graecum vocabulum esse *ἐγκύκλημα*

certissime sequitur e voce decomposita *παρεγκύκλημα*, qua de suis explicationum machinis saepenumero veteres scholiastae utuntur. Nimirum ut *ἐμβαίνειν* et *εἰσβαίνειν*, *ἐμβάλλειν* et *εἰσβάλλειν* unum idemque significant: ita etiam *ἐγκυκλεῖν* et *ἐγκύκλημα* nihil aliud, quam *εἰσκυκλεῖν* et *εἰσκύκλημα* declarare videntur. Transeo ad varias explicationes machinae ipsius. Nam quum Hermannus in *Opusculis* VI p. 166 visus esset ipse scenae paries utrimque discessisse (die Scenewand selbst weicht auf beiden Seiten auseinander): ostendi id sine ulla auctoritate dictum esse et Servium de re loqui plane diversa. Atque id verissime a nobis iudicatum esse, id quod frustra in censura negavit Hermannus, nunc demonstrabo. Servius enim Varronem fortasse secutus ad Virgil. Georg. III, 24 haec tradit: „Scena quae fiebat, aut versilis erat aut ductilis. Versilis tunc erat, quum subito tota machinis quibusdam convertebatur et aliam picturae faciem ostendebat; ductilis tunc, quum tractis tabulatis hac atque illac species picturae nudabatur interior.“ Ex his Servii verbis elucet, machinam, quam Hermannus pro *eccyclemate* habuit, minime versatilem fuisse, sed ductilem. Atqui *eccyclema* versatile genus machinarum fuisse, neque vero, ut ipse finxit, ductile omnes scriptores uno ore consentiunt. Tum vix exaudiri potuissent eorum versus, qui *eccyclemat*is ope ostenduntur, si ipsi a spectatorum subselliis tanto spatio diremti fuissent. Plane vero incredibilia finxit Boettiger in *Opusculis* p. 354. Conjecit enim antiquissimo tempore tabulis reductis penetralia aedium provoluta esse, postea *eccyclemat*is eam fuisse rationem, quam Pollux IV, 128 exposuit, procedente autem tempore *periactos* *eccyclemati* substitutas esse. Qui ut caetera ex vano hausit, ita ne Pollucis quidem locum recte interpretatus est. Denique ingeniosam luxuriam, qua b. Mueller ad Aeschyli *Eumen.* p. 103 sq. auctore partim Boettigero *eccyclema* describere conatus est, ad Thesmophor. p. 98 jure castigavi. Jam primum Pollux IV, 128,*) schol. ad Acharn. v. 407 sive Suidas s. *Ἐγκυκλή-*


*) Pollucis locum ad Thesmophor. p. 93 caetera recte emendavi, praeterquam quod eum nunc puto forma *ἐγκύκλημα* non usum esse. Scribo enim, *Καὶ τὸ μὲν ἐγκύκλημά ἐστι εὐλὼν ὑψηλὸν βάθρον, ᾧ ἐπικείται θρόνος. δεικνύσι δὲ καὶ τὰ ὑπὸ τὴν σκηνὴν ἐν ταῖς οἰκίαις ἀπορόρητα πραχθέντα. καὶ τὸ ῥῆμα ἀπὸ τοῦ ἔργου καλεῖται ἐκκυκλεῖν. ἐφ' οὗ δὲ εἰσάγεται τὸ ἐγκύκλημα (?), εἰσκύκλημα ὀνομάζεται. καὶ χρὴ τοῦτο νοεῖσθαι κατ' ἐκάστην δύραν, οἷον κατ' ἐκάστην οἰκίαν. Pro verbis καὶ τὸ ῥῆμα τοῦ ἔργου recte correxi καὶ τὸ ῥῆμα ἀπὸ τοῦ ἔργου, sicut idem scriptor paullo post loquitur § 129 τὸ δὲ φρυκτώριον τῷ ὀνόματι δηλοῖ τὸ ἔργον. Caeterum prima verba Καὶ — θρόνος quomodo intelligenda sint, e v. θρόνος apparet. Describitur tragicum *eccyclema*, quod quidem non post dextram januam neque sinistram, sed pone medias valvas fuerit regiae. Non recte de his verbis statuit Hermannus in *Opusc.* VI p. 166 „Diess ist offenbar aus der Erklärung*

ᾠῆτι atque Eustathius p. 976, 15') eccyclema hanc vim habuisse testantur, ut rotatilis machinae conversione spectatoribus interna domus monstraretur. Inprimis vero tenendum est, eam picturae speciem, quae plerumque in fabulis scenicis ostenderetur, externam maxime domum fuisse. Nam et in tragoediis ante ipsas valvas regiae et in comoediis ante fores aedificii privati res agi scenicas solere videmus, ut plane appareat, januas et parietes pictos vulgo ostensos esse. Ergo eccyclema scena erat versilis, quam Servius tunc fuisse docet, quum subito tota machinis quibusdam converteretur, et aliam picturae faciem ostenderet. Quum igitur antea externa domus monstrata esset, per eccyclemae conversionem pictura priori contraria internae domus efficienda esset: necessario sequitur, per eam machinam, cui nomen erat eccyclemati, contrarias domus partes externas atque internas converti debuisse. Quamobrem verissima sunt, quae ad Thesmophor. p. 94 scripsi his ipsis verbis: „Quum duo in ultima scena essent latera parietum, unum domus externae, quod plerumque ostendebatur et amoto encyclemate sub adspectum redibat, alterum internae, quod eccyclemae ope ad tempus conspiceretur: necessario quae post scenam in ipsa domo fierent, conversione domus per machinam effecta in scenam moveri debuerunt et contra.“ Sed hanc sententiam censor meus nescio quo pacto ne intellexit quidem, qui ita scripserit l. l. p. 678. „Hr. Fr. giebt eine sehr seltsame durch eine Zeichnung versinnlichte Darstellung, nach welcher das Ekkyklem ein Halbkreis ist, der auf Rädern her-

eines einzelnen Falles genommen.“ De verbis ἐφ' οὗ δὲ — ονομάζεται ut meliorem nunc afferre conjecturam possim, exemplum facit Hermann, qui l. l. conjecerit, ἐφ' οὗ δὲ εἰσάγεται τὸ ἐκκυκλημα, εἰσκυκληθρα ὀνομάζεται. Et hujus quidem formae εἰσκυκληθρα nullum usquam indicium reperi. Itaque paullo aliter corrigo in hunc modum, ἐφ' οὗ δὲ εἰσάγεται τὸ εἰσκυκλημα, ἐγκυκληθρα ὀνομάζεται. Formam τὸ ἐγκυκληθρον liquido agnoscit Eustathius p. 976, 15, ut certe dici potuerit etiam ἡ ἐγκυκληθρα, id quod demonstravi ad Ranas v. 904. Accedit quod formae femineae alia quoque vestigia supersunt. Nam apud Suidam s. Ἐγκυκλήθητι quum vulgo legatur, ἐγκυκλημα δὲ λέγεται μηχανημα, quod item est in Rav. ejusdem scholii ad Acharn. v. 407: tres Suidae libri pro ἐγκυκλημα exhibent ἐγκυκληρα (sic). Corrigo igitur, ἐγκυκληθρα δὲ λέγεται μηχανημα —. Apud scholiastam ad Soph. Ajac. 346 ed. Rom. habet, ἐνταυθα ἐγκυκλωμά τι γίνεται, at codex Laurent., ἐνταυθα ἐν κυκλήματι γὰρ γίνεται, ut conjecturae locus sit, ἐνταυθα ἐγκυκληθρα τις γίνεται —. Proprie totius rei actio ἐκκυκλημα et contra εἰσκυκλημα sive ἐγκυκλημα dicebatur; at machinae ipsi nomen erat ἐγκυκληθρον sive ἐγκυκληθρα.

*) Scholiastes ad Aeschyli Eumen. v. 64 eccyclema his verbis exponit: στραφέντα γὰρ τὰ μηχανήματα εὐδῆλα ποιεῖ τὰ κατὰ τὸ μαντεῖον —.

umgedreht werde, um das Innere zu zeigen.“ Amicus Hermannus, sed magis amica veritas. Delineatio quidem nostra, quae talis fere est,



id habet, ut conversione facta domum internam interiore parte continuo janua excipiat, propterea quod interdum, qui post conversionem domi intus sunt, tamen introire jubentur, ut Socratici in Nubibus v. 196 et Aegisthus in Sophoclis Electra v. 1491. Ita vulgo res aguntur ante domum et januam, conversa autem machina in ipsa domo, rursus tamen ante januam. Illud permirum videbitur, eos ipsos, qui post eccyclema in domo sunt interna, plane foris esse dici. Ita in Nubibus post v. 184 per eccyclema domus Socratis interior ostenditur cum Socraticis, qui tamen ibidem v. 199 πρὸς τὸν ἄερα ἔξω διατρίβειν traduntur. Ita in Thesmophoriazosis v. 65 — 69 ibid. v. 95 sq. (cf. ibid. v. 265) per conversionem domus interna cum Agathone ita monstratur, ut tamen Agatho foras prodire dictus sit. At, inquit, inepte istud quidem institutum est. Plerumque enim ars male imitatur naturam. At plane absurdum est, internam domum non intus, sed foris fuisse. Ratio enim paruit necessitati semperque in theatris haec primum ratio inita est, ut spectatores, quidquid ageretur, videre possent, neque janua nec pariete neque tecto visum unquam impediante. Quare ne ipsa quidem ratio negaverit, internam domum tum quidem specie tantum intus fuisse, revera autem in externa scena inspectam esse. Illud vero plane nullam habet rationem, quod Pollucis loco male intellecto b. Mueller excogitavit, internam domum per ipsas scenae januas propulsam esse: quem errorem Hermannus Opusc. VI p. 166 atque ego ad Thesmophor. p. 98 certatim refutavimus. Ceterum quod ad Thesmophor. p. 96 conieci, ubi una tantum persona intus ostenderetur, eccyclemate ne opus quidem fuisse, sed fieri id potuisse valvis apertis: fugit me spectatores tabulis scenae non reductis nihil satis clare visuros fuisse. Immo apparet, ubicunque interna domus monstranda esset, etiam in Hippol. v. 808 et in Soph. Electr. 1458 eccyclema haud dubie converti debuisse. Quod autem Pollux eccyclema dicit in quavis janua sive domo cogitandum esse: tria cum eccyclemata agnoscere ad Thesmoph. p. 94 demonstravi; tres enim scenae januas fuisse posticas, Eodem loco graviolem notavi errorem, propagatum illum a Boettigero Opusc. p. 353 sq. et O. Muellero ad Eumenid. p. 103 eorum, qui eccyclema tantum in inferiore scenae contignatione fuisse opinantur. Ostendi enim, duplex

eccyclematum genus exstitisse, unum in infima domo, alterum in distegia, Pollucem autem, cujus haec verba sunt, *Καὶ τὸ μὲν ἐκκύκλημά ἐστι ξύλων ὑψηλὸν βάθρον*, de posteriore tantum genere exposuisse: idque probavi vel ipsi Hermannō in censura p. 678. Non minus recte addidi, in *Acharn.* v. 383 sqq. quo in loco interna domus cum Euripide ostenditur, eccyclema nisi superioris tabulati nullum cogitari posse, eamque rem jam scholiastas ad v. 385 (409) perspectam habuisse.*') Postremo recte statui, in *Nubibus* v. 185 et v. 219 utrumque eccyclema conjunctum esse; primum v. 185 Socraticos in infima domo conspici, paullo post autem v. 219 in eadem domo Socratem ipsum sublimem spectari.*') Maxime scilicet placuit placetque etiamnum, in *Nubibus* utpote in una eademque domo utriusque contignationis eccyclema conjunctum fuisse, quanquam in tam artificiosa compage me non latet machinandi difficultas. Concessi tamen, discipulos et ipsum Socratem minore molitione etiam per duplex eccyclema monstrari adeoque per *κράδην* effici potuisse, ut Socrates in corbe sublimis penderet. Sed de machina *κράδην*, quae in alia erat scenae parte, cogitare vix licet, nisi forte universa scena domum Socratis internam repraesentabat.

Nunc paucis absolvam de necessitudine, quae inter eccyclema atque divinam machinam intercesserit. Quas quidem machinas inter se simillimas fuisse in disputatione *De Deo Ex Machina* p. 11 sq. his potissimum locis docui Luciani in *Philopseude* c. 29 *θεὸν ἀπὸ μηχανῆς ἐπεισκυκληθῆναι*, Clementis Alex. in *Protrept.* p. 7 et p. 37 ed. Lugdun. *θεοὺς τοῖς θεαταῖς ἐκκυκλεῖν*, inprimis vero grammatici in *Lex. Rhetor.*

*) Ibidem incertum esse dixi, equonam modo Euripides in *Acharnensibus* aliique e superiore contignatione in scenam descenderint. Conjeci tamen eccyclema superius scala et gradibus non caruisse. Quam conjecturam ut refelleret, censor meus aliam opposuit conjecturam, quae se ipsa refellit p. 678 „Man braucht — herunterreichen.“ Et Euripides quidem, quum v. 384 ita loquatur, *ἀλλ' ἐκκυκλήσομαι· καταβαίνειν δ' οὐ σχολή*, non videtur pedibus descendisse. At descendit de machina item sublimi Socrates in *Nub.* 238 *ἴδινυ νυν κατάβηθ' ὦ Σωκρατίδιον ὥς ἐμέ*. Alibi conjecimus, deum ex machina funibus in scenam deductum esse. Neque enim quisquam e distegia in scenam devenire poterat, nisi aut per gradus descenderet, aut funibus demitteretur; devolare enim avium est, non artis humanae.

**) Ibidem observavi, quum interna domus Socratis ostendatur, nulla alia machina hanc speciem exhiberi potuisse, nisi eccyclemate. Cujus rei testes esse duo, grammaticum p. 107 ed. Bekk. (sive p. 361 Ox.), ubi pro *ἐκλυθείσης* δὲ τῆς διατριβῆς corrigendum esse *ἐκκυκληθείσης* —, et scholiastam ad v. 185 *ὅρᾳ δὲ ὥς φιλοσόφους κομῶντας, στραφέντος τοῦ ἐγκυκλήματος*. Nuper nostram emendationem, *ἐκκυκληθείσης* δὲ τῆς διατριβῆς probavit etiam IV. III. p. 400 Ox. Dindorfius addiditque, *ἐκλυθείσης* jam legisse graeculum, qui pro eo *διαλυθείσης* posuerit p. 366, 26 Ox.

Bekk. p. 208, 9 Ἀπὸ μηχανῆς: μηχανή ἐστὶ παρὰ τοῖς κωμικοῖς ἐγκυκλήματος τι εἶδος, ὃ ἀπὸ συνθήκης πρόσω φέρεται εἰς τὴν σκηνὴν δείξεως χάριν θεοῦ ἢ ἄλλου τινὸς ἥρωος. Sed quam verborum μηχανή ἐστὶ — ἐγκυκλήματος τι εἶδος interpretationem dedi, die Göttermaschine ist eine Art von Drehmaschine, de ea dubitare coepi, quum ἐγκύκλημα, licet esset versilis machina, non tamen significasse videatur quamlibet machinam versatilem. Itaque nunc haec verba sic potius interpretor: machina est genus quoddam eccyclematis. Tamen si autem in ea, quam dixi disputatione p. 10 sqq. certis testibus evici, deorum machinam non minus quam eccyclema e genere versatile fuisse: tamen versatiles machinas aliquanto plures extitisse ibidem p. 12 docui; ut nobis porro quaerendum sit, quale eccyclematis genus deus ex machina fuisse dicatur. Quum igitur inter omnes constet, deum ex machina plerumque in editis locis apparuisse, de qua re ibidem p. 7 disserui: sequitur deum ex machina pro ejusmodi eccyclemate habitum esse, quod non in infima domo, sed in distegia conspiceretur. Hujus enim sententiae auctorem grammatico Bekkeriano addere licet Pollucem IV, 127 — 129, qui quum tacet, loquitur et clamat. Videbitur autem leviter intuenti Pollux § 127 verbis εἶεν δ' ἂν τῶν ἐκ θεάτρον καὶ ἐγκύκλημα καὶ μηχανή καὶ ἐξώστρα — exostram ab eccyclemate prorsus discrevisse ideoque ipse secum pugnare, qui § 129 adjecerit, τὴν δὲ ἐξώστραν ταῦτόν τῳ ἐγκυκλήματι νομίζουσιν.) At utroque loco egregie sibi constat, qui arcte conjunxerit eccyclema (genus universum), machinam divinam (eccyclematis speciem) atque exostram (parem si forte eccyclemati). Quod si quis haec verba § 128 Καὶ τὸ μὲν ἐγκύκλημά ἐστὶ ξύλων ὑψηλὸν βαθρον — et mox ἡ μηχανή δὲ θεοὺς δείκνυσιν καὶ ἥρωας τοὺς ἐν αἴρι — diligenter comparare voluerit: profecto inveniet, primum quidem Pollucem, quum omnia eccyclemata persequi non posset, summo jure illud eccyclema, quod in distegia fuit, potissimum explicasse, tum vero hoc ipsum distegiae eccyclema cum machina aëris divina ita vel contulisse vel equiparasse, ut tamen alio scenae loco eccyclema, alio deum ex machina apparuisse doceret.***) Postremo hac una ratione intelligi potest, quo

*) Hoc ipso modo verba § 127 εἶεν δ' ἂν — καὶ ἐξώστρα falso interpretati sumus Hermannus Opusc. VI p. 165 egoque ad Thesmophor. p. 104. De toto tamen loco jam tum ita statui, ut ibid. p. 93 Pollucem IV, 128 optime disseruisse confirmarem, haud dubie rectius quam l. l. p. 166 Hermannus, qui non debebat haec scribere: Der elende Compiler Pollux hat aus verschiedenen Schriften folgendes zusammengetragen. Immo Pollux neque sibi repugnat, et optimum ducem secutus est.

**) Machina divina juxta alteram versuram in sinistro latere proscenii sita erat (Pollux IV, 128 et schol. ad Lucian. Philopseud. c. 29) et ad ipsas περιάκτους referenda est. (Vitruvius V, 6, 8 ed. Schn.)

jure Pollux § 129 verba τὴν δὲ ἐξώστραν — νομίζουσιν post divinae demum machinae (τῆς μηχανῆς sive κράδης), ac non potius jam post eccyclelematis descriptionem collocaverit. Nam si eccyclema et machina divina nihil commune habuissent, exostram eccyclemati parem nimis absurde non cum eccyclemate, sed cum machina divina copulasset. Ceterum scena versatilis apud Valerium Maximum II, 4, 6 sive scena versilis *) apud Servium ad Virgil. Georg. III, 24 non unice ad periactos referenda est, id quod fecerunt Kuhnus ad Pollucem IV, 126 et Schneider ad Vitruvium Vol. II p. 353, sed haec appellatio latius patet, quippe qua et deus ex machina caeteraeque periacti, et eccyclemata et aliae machinae versatiles comprehendantur.

Periculosum est, sed nonnunquam necessarium, sine ullo satis certo teste philosophari: cujusmodi est quaestio de mutuo nexu eccyclelematis atque exostrae. Ac primum Boettigero in Opusc. p. 354 exostram, caetera parem eccyclemati sed trusatilem, tunc fuisse placet, si rotularum loco ad interiora protrudenda phalangis uterentur. Ita ego quoque ad Thesmoph. v. 276 exostram fuisse machinam conjeci ad res propellendas idoneam, allato duplici scholio Rav. ad v. 276 altero τὸ ἱερὸν ὠδεῖται, altero ἐκκυκλεῖται ἐπὶ τὸ ἐξω τὸ θεσμοφόριον. Nam verbum ὠδεῖται tum quidem ad exostram eccyclemati parem referebam. At istud ὠδεῖται, si modo genuinum est, videtur falso usurpatum et ab altero scholiasta, qui ἐκκυκλεῖται scripsit, bene correctum esse, repugnavitque pristinae meae conjecturae etiam Hermannus in censura p. 679. Neque magnam vim habet alius locus, non ille ad scenam sed militiam spectans, quo l. l. p. 105 non inepte usus sum, Vegetii De Re Milit. IV, 21, ubi exostram pontem mobilem esse docet, qui de turri lignea in murum obsessae urbis repente protrudatur et protendatur. Ipsius vero scenae exostra translate usi sunt locis inter se simillimis Polybius XI, 6, 8 τῆς τύχης ὥσπερ ἐπίτηδες ἐπὶ τὴν ἐξώστραν ἀναβιβάζουσης τὴν ὑμετέραν ἀνοιαν, atque Cicero De Provinc. Consul. c. 6 secundum optimos codd. — a suis Graecis subtilius eruditus, quibuscum jam in exostra heluatur, antea post siparium solebat. Quibus ex locis hoc certe patet, exostram scenae partem fuisse prae caeteris conspicuam. Ceterum prorsus eandem similitudinem ab encyclemate petiit schol. Ven. ad Il. σ', 477 δαίμονίως τὸν πλάστην αὐτὸς διέπλασεν, ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς ἐγκυκλήσας καὶ δείξας ἡμῖν ἐν φανερῷ τὸ ἐργαστήριον. Scenicae igitur exostrae significationem quaerenti praeter veteres Glossas in H. Steph. Thes. L. G. VII, p. 75 sub ἐξώστῃς et ἐξώστρα imprimis occurrit

*) Nempе σκηνή dicitur quaevis tabula scenae, tum in proscenii lateribus, tum in parte scenae postica. Vide quae attuli De Deo Ex Machina p. 11 et p. 13.

insignis locus l. XI C. de aedif. privat. 8, 10 Meniana, quae graeco vocabulo *ἐξώστρας* (ita optimi libri) appellant —, cui loco similia quaedam Cujacius Obs. 1, 30 et Brissonius De Verborum Significatione s. Maeniana adjecerunt. Sunt ista quidem omnia ex infima graecitate repetita; suspicor tamen, *ξύλων ἐξοχὰς*, quas Herodianus VII, 12 dicit, sive maeniana jam in attica dialecto *ἐξώστρας* appellatas esse, non tamen, quod extra promoveantur, ut ad Thesmoph. p. 105 scripsi Hermannum in Opusc. VI p. 166 secutus (neque enim promovetur maenianum, sed exstat ante domum et prominet), sed quia id ipsum, quod prominet, *ἐξώστον* atque *ἐξώστρα* recte dici posse videtur. Nam eodem modo et Aeschylus signum Sphingis extra clypeum exstantis in Septem v. 524 *ἐκκρουστον δέμας* appellat, et ipsum maenianum latine projectio, projectum, projectus, projectura, quaecunque autem prominent, projecta dicuntur (Cic. in Verrem II, IV, 10 § 21 urbs projecta in altum). Accedit, quod in scena attica omnino locus est exostrae, si maenianum hac voce designatur. Vitruvius enim, quo loco tria scenarum genera variosque earum ornatus describit, V, 6, 9 Schn. his ipsis verbis utitur: comicae autem (scenae) aedificiorum privatorum et menianorum habent speciem cet.) Sed revisamus Pollucem IV, 129 *τὴν δὲ ἐξώστραν ταύτην τῷ ἐγκυκλήματι* (malim hic quidem *ἐκκυκλήματι νομίζουσιν*, addamusque Hesychium, *ἐξώστρα: ἐπὶ τῆς σκηνῆς τὸ ἐκκύκλωμα (ἐκκύκλημα).**) Adeo in meris tenebris (quid enim aliud exostra est, quam tenebrae?) haec una nobis lux affulget, ut citius omnia commenta nostra abjicienda sint, quam de Pollucis Hesychii fide quidquam detrahatur. Quo magis me poenitet haec scripsisse iudicio praecipitato ad Thesmoph. p. 104 „si prius demonstravero, ab encyclemate exostram multum distare.“ Secutus eram Hermannum, cujus haec verba sunt in Opusc. VI p. 166 „Man darf wohl mit Zuversicht annehmen, dass *ἐκκύκλημα* etwas ganz anderes als *ἐξώστρα* war.“ At quibus tandem argumentis moti rationem parum recte conclusimus? Maxime quidem decepti sumus mala interpretatione

*) Quemadmodum maeniana non in infima domo, sed in superioribus tabulatis esse solent: sic exostram quoque in distegia fuisse si minus e Polybii XI, 6, 8 verbo *ἀναβιβαζούσης*, attamen e Polluce conjicio, qui non solum exostram parem dicit eccyclemati distegiae (certe id unum § 128 descripserat), sed etiam § 127 sqq. primum ea tractat, quae superioris contignationis sint, *ἐκκύκλημα* — *αἰῶραι*.

**) Proxima glossa Hesychii, *Ἐξωστρακίσθη: ἔξωται* (ita codex) *παγὶς ἔξω παγίδος*, haec igitur glossa utcumque corrupta ad ostracismum pertinet, non item ad exostram. Apud Suidam continuo se excipiunt glossae *Ἐξώστοα* atque *Ἐξωστρακίσθη*. Sed pro *ἐξώστοα* duo libri exhibent *ἐξώστα*, Toupius autem *ἐξώστρα* suo jure scripsisse videtur.

ejusdem Pollucis IV, 127 εἰεν δ' ἄν — καὶ ἐξώστρα, quae verba supra recte explicavi. Neque Pollucis IV, 129 verbo νομιζουσιν multum tribuo. Nam ut res nonnihil dubitationis habuerit, at plerique tamen ab eccyclemate exostram differre negabant: quos quoniam refutare non licet, sine ulla dubitatione sequamur. Illud neuter nostrum dicere ausus est, exostram et eccyclema quot nomina, totidem ob id ipsum res fuisse diversas. Sciebamus enim, saepius plura nomina uni eidemque machinae impertita esse, quibus aliqua pars a tota vel a specie genus discerneretur, ut est apud Pollucem IV, 129 ὁ δὲ ἐν τραγωδίᾳ Μηχανή, τοῦτο ἐν κωμῳδίᾳ Κράδη. At valde in eo haesimus, quod eccyclema aedium recessus ostenderit, exostra autem maenianum, rem externam: quae si conciliari inter se non possent, sequeretur, nos ipsos errasse de maeniano, nihil autem errasse cum Hesychio Pollucem. Mihi vero ne haec quidem videntur repugnare. Vidimus enim, plura genera eccyclematum, versatilium machinarum exstitisse: exostram autem non versatilem fuisse nemo tradidit. Vidimus, internam domum, quam eccyclema simularet, non intus, sed plane foris fuisse; foris est autem etiam exostra. Quamobrem et hoc certum puto, exostram pro aliquo eccyclematis genere habendam esse, et illud verisimile arbitror, exostram nihil aliud significasse, quam maenianum.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O.,** Academiae Senior, 1) privatim historiam dogmatum h. VIII — IX senis dd. tradet; 2) publice instaurationis sacrorum historiam h. IX — X quaternis dd. enarrabit; 3) publice h. III — IV paedagogicis binis dd. praecipiet. In Seminarii sodalitia catechetica sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.
- D. Jo. Phil. Bauermeister, P. P. O.,** Ordinis Theologorum h. t. Decanus, 1) quinis dd. hor. X — XI evangelia Matthaei, Marci et Lucae interpretabitur; 2) quaternis dd. hor. XI — XII cum isagogen historicam et criticam in Nov. Test. tum hermeneuticam docebit; 3) binis dd. hor. XI — XII exercitationes exegeticas moderabitur.
- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O.,** 1) privatim senis dd. h. IX alteram historiae ecclesiasticae partem enarrabit; 2) privatim senis dd. h. XI theologiam dogmaticam tradet; 3) publice in Seminarii sodalitia homileticas sodalium exercitationes die Mercurii h. II et III moderari perget.
- D. Franc. Delitzsch, P. P. O.,** 1) epistolam Pauli ad Romanos interpretabitur diebus quaternis h. X — XI privatim; 2) Psalmos qui dicuntur messianos exponet diebus quaternis h. XI — XII privatim; 3) de notionis organici et organismorum usu theologico disseret semel per hebdomadam die Saturni h. XI — XII publice; 4) rudimenta linguae syriacae docebit horis diebusque definiendis publice; 5) exercitationes conversatorii exegetici moderari perget horis VII — IX vespertinis die Martis.
- D. Julius Wiggers, P. E.,** 1) coram omnium ordinum com-militonibus de statu ecclesiae in Germania qualis nunc sit disseret die Ven. h. IV; 2) epistolam Pauli ad Galatas explanabit die Martis et Jovis h. IV; 3) symbolicam praecipiet quater per hebdomadam h. XI.

In ordine juridico.

- D. Conradus Theodorus Gründler, P. P. O.,** publice tradet
 1) encyclopaediam juris, duce Falck, sexies per hebdomadam h. X — XI;
 2) jus ecclesiasticum, duce Wiese, sexies per hebdomadam h. IV — V.

- D. Augustus Ludov. Diemer, P. P. O.,** 1) publice enarrabit historiam utriusque Megapoleos, duce compendio Caroli de Lützow, bis per hebd. h. IX—X; 2) privatim tradet jus canonico-ecclesiasticum, duce compendio Wiesii ed. Kraut, quater per hebd. h. III—IV; 3) docebit jus Megapolitanum tum publicum tum privatum ex schedis suis quater per hebd. h. IV—V.
- D. Fridericus Raspe, P. P. O.,** docebit jus criminale commune et Megapolitanum, duce Heffter, sexies h. XI—XII et XII—I.
- D. Agathon Wunderlich, P. P. O.,** tradet pandectas sexies h. IX—X et X—XI.
- D. Henricus Thöl, P. P. O.,** Ord. JCtor. h. t. Decanus, tradet 1) jus feudale ter horis commodis; 2) jus mercatorium ex libro suo, ed. 2, quater h. II—III; 3) instituet collegium, quod vocant civile practicum, ter h. III—IV.
- D. Rudolphus Jhering, P. P. O.,** I. publice de vi et indole, qua fuit jus Romanum diversis temporibus, disseret die Saturni h. IV—V; II. privatim tradet 1) institutiones et antiquitates juris Romani quater h. XI et XII, 2) jus hereditarium ter h. XII.
- D. Theophilus Henricus Fridericus Gaedcke** 1) tradet principia, quae officium notariorum spectant, horis deinde constituendis; 2) quater per hebd. collegium civile practicum instituet. Nec deerit examinatoria et repetitoria cupientibus, quum de universo jure, tum de singulis ejus partibus.
- D. Iwan de Gloeden** 1) privatim jus publicum megapolitanum et confoederationis germanicae docebit quinquies p. h. h. XII; 2) publice historiam juris Romani post Justinianum narrabit bis p. h. h. IV.
- D. Hermannus Buchka** 1) processum civilem tam juris communis quam megapolitani sexies p. hebd. hora adhuc definienda privatim docebit; 2) titulos quosdam selectos Pandectarum gratis bis p. hebd. interpretabitur.

In ordine medico.

- D. Henricus Spitta, P. P. O.,** tradet quatern. hebdom. diebus 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem; 3) clinicen propaedeuticam binis hebdom. diebus.
- D. Carolus Strempel, P. P. O.,** docebit quater p. h. 1) materiam medicam artemque formulas medicas rite concinnandi h. IV; 2) chirurgiae partem primam h. VIII; 3) artem operationum chi-

rurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam h. III et 4) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico quotidie h. IX—XI moderabitur.

- D. Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O., 1) in demonstrationibus anatomicis splanchnologiam, angiologiam et neurologiam h. II—IV diebus Lunae, Martis et Jovis; 2) osteologiam, syndesmologiam et myologiam horis II—IV diebus Mercurii et Veneris docebit; 3) in secandis cadaveribus auditores hh. IX—XII quotidie erudiet.
- D. Fridericus Hermannus Stannius, P. P. O., h. t. Decanus, tradet: 1) anatomen comparatam duce v. Siebold et Stannius „Lehrbuch der vergleichenden Anatomie. Berl. 1845—46. 8.“ quotidie h. XII—I; 2) pathologiam generalem quotidie h. XI—XII.
- D. Christianus Krauel, P. P. O., 1) tradet artem obstetriciam quater p. h. hor. IV; 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio quotidie h. VIII moderari perget.
- D. Jo. Frid. Guil. Lesenbergh has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.
- D. Carolus Hanmann gratis 1) semiologiam, 2) formulare tradet; privatim 1) praxin medicam, 2) chirurgiam, 3) ophthalmiatricam docebit; privatissime repetitorium medico-chirurgicum offert, neque iis deerit, qui operationibus ophthalmiatricis operam navare voluerint.
- D. Joannes Schroeder tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., publice 1) quaternis diebus h. XI Aristophanis Pacem interpretabitur; 2) binis diebus h. XI Horati Satirarum libros duo explicabit; 3) quaternis diebus h. III Ciceronis de Officiis libros tres exponet. Denique exercitationes seminarii philologici moderari perget, in quo Euripidis Supplices et Andromache, tum etiam Terenti Adelphi pertractabuntur.

- D. Joannes Roeper, P. P. O.,** privatim docebit 1) zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, senis diebus h. XI; 2) physiologiam plantarum diebus Jovis et Veneris h. III; publice 3) diebus Lunae et Martis systemata plantarum recentiora illustrabit h. III.
- D. Eduardus Danielis Henricus Becker, P. P. O.,** 1) publice elementa rei rationariae oeconomicae tradet bis p. h. h. XII; 2) privatim agriculturam et rem pecuariam octies p. h. docebit h. IX et II.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O.,** 1) privatim quaternis diebus h. X Pindari Epinicia interpretabitur; 2) privatim quaternis diebus h. IX Ciceronis ad Atticum epistolas tractabit; 3) privatissime binis diebus horis constituendis de Graecorum mythologia disseret.
- D. Helmuth de Blücher, P. P. O.,** privatim tradet 1) chemiam experimentalem sexies p. h. h. X—XI; 2) chemiam practicam bis p. h. h. II—IV.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O., h. t. Decanus,** docebit publice: 1) astronomiam popularem bis p. h.; privatim: 2) geometriam analyticam quater p. h.; 3) mineralogiam quater p. h.; 4) de calculo integrali disserere perget bis p. h. Privatissima denique offert collegia de quavis matheseos vel physices parte, neque deerit iis, qui de rebus nauticis institui velint. Disputatoria de rebus physicis una cum collegis Röper et de Blücher moderabitur.
- D. Carolus Türk, P. P. O.,** publice 1) conversatorium historicum continuabit bis p. h. h. II; 2) privatim docebit encyclopaediam literarum politicarum ter p. h. h. XI; 3) historiam medii aevi quinquies p. h. h. XII.
- D. Christianus Wilbrandt, P. P. O., h. t. Rector,** privatim 1) historiam literarum Germanicarum quaternis diebus h. IX; 2) historiam philosophiae senis diebus h. X enarrabit; 3) exercitationes Seminarii philosophico-aesthetici moderabitur horis constituendis.
- D. Fridericus Francke, P. P. E.,** 1) privatim logicam docebit quinis p. h. dd. h. X; 2) privatim metaphysicam illustrabit quinis dd. h. XI; 3) ethices lineamenta designabit quaternis dd. h. III.
- D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E.,** privatim interpretabitur 1) h. III—IV Aeschyli Prometheus; 2) h. IV—V Ciceronis de Oratore libros tres; 3) publice binis diebus h. X—XI de syntaxi latina disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

- D. Eduardus Schmidt, P. P. E.,** 1) publice initia philosophiae moralis, eandemque introductionem in theologiam moralem his p. h. dieb. Lunae et Jovis h. III; 2) privatim encyclopaediam disciplinarum philosophicarum, praemissa introductione universali in philosophiam quinquies p. h. h. IV; 3) privatim psychologiam docebit quater p. h. h. V.
- D. Carolus Hegel, P. P. E.,** 1) historiam rerum inde ab a. 1789 usque ad a. 1815 gestarum quinquies privatim h. IV; 2) historiam imperii Germanici inde a Carolo magno usque ad reformationem ecclesiae ter publice h. III tractabit; 3) de historiae Germanicae scriptoribus medii aevi disseret et delectos libros eorundem cum sodalibus interpretabitur his p. h. h. III.
- D. Carolus Weinholtz** privatim 1) anthropologiam psychicam docebit; 2) ostendet, quomodo animus excolatur et quam vim habeat probe excultus ad illustrandas literas hominumque vitam; 3) quomodo cohaereant loqui, cogitare et sentire et quodnam sit principium logicum euphonicum et rhythmicum, ratione potissimum habita linguae germanicae.
- D. Julius Theodorus Zenker** gratis 1) linguae Sanscritae elementa docebit diebus Mercurii et Saturni h. X—XI; 2) Coranum et Borhân-ed-dîni es-sernudji Enchiridion Studiosi explicabit quaternis per hebdom. diebus h. III—IV; 3) privatim antiquitates Hebraeorum enarrabit quinquies p. hebdom. diebus h. IX—X; 4) librum Koheleth explicabit diebus Lunae, Jovis et Veneris h. X—XI.
- D. Bernhardus Sthamer** docebit: 1) pharmacognosin ter p. h., 2) chemiam forensem bis p. h.

Biliotheca h. XII—I quotidie, festo die et solis excepto, **Museum** vero die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferatur § 1 legum de usu bibliothecae nostrae scriptarum. Gallicam, anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem equitandi, pingendi, musicam et artem gymnasticam doceant. — Domicilia quaerentibus monstrabit **J. H. Schultze**, Academiae nuntius juratus.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Christianus Wilbrandt, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **J. Ph. Bauernmeister, Th. D.**

Juris consultorum **H. Thöl, J. U. D.**

Medicorum **F. H. Stannius, M. D.**

Philosophorum **H. Karsten, Ph. D.**